



Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

II. Quòd veritas intus loquitur [s]ine [s]trepitū verborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

seductoria? Et quid juvant omnes
creaturæ, si fueris à creatore deserta?

Omnibus ergo abdicatis, creatori
tuo te redde placitam ac fidelem, ut
veram valeas apprehendere beatitu-
dinem.

C A P U T II.

*Quod veritas intus loquitur sine
strepitu verborum.*

1. **L**oquere, Domine, quia audit
servus tuus. Servus tuus sum
ego, da mihi intellectum, ut sciam
testimonia tua.

Inclina cor meum in verba oris
tui; fluat ut ros eloquium tuum.

Dicebant olim filii Israel ad Moy-
sen: Loquere tu nobis, & audiemus:
non loquatur nobis Dominus, ne
forte moriamur.

Non sic, Domine, non sic oro: sed
magis cum Samuele Propheta hu-
militer ac desideranter obsecro: Lo-
quere, Domine, quia audit servus
tuus.

Non

Non loquatur mihi Moyses , aut aliquis ex Prophetis : sed tu potius loquere , Domine Deus, inspirator & illuminator omnium Propheta- rum : quia tu solus sine eis potes me perfectè imbuere ; illi autem sine te nihil proficiunt.

2. Possunt quidem verba sonare, sed spiritum non conferunt.

Pulchriter dicunt ; sed te tacente cor non accendunt.

Litteras tradunt , sed tu sensum aperis ; Mysteria proferunt , sed tu referas intellectum signatorum.

Mandata edicunt, sed tu juvas ad perficiendum.

Viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum.

Illi foris tantum agunt, sed tu cor- da instruis & illuminas.

Illi exterius rigant , sed tu fœcun- ditatem donas.

Illi clamant verbis, sed tu auditui intelligentiam tribuis.

3. Non ergo loquatur mihi Moy- ses , sed tu Domine Deus meus æter- na

eo cap

ma veritas: ne fortè moriar, & sine
fructu efficiar, si fuero tantum foris
admonitus, & intus non accensus.

Ne sit mihi ad judicium, verbum
auditum, & non factum: cognitum,
nec amatum: creditum, & non fer-
vatum.

Loquere igitur, Domine, quia au-
dit servus tuus: verba enim vitæ æ-
ternæ habes.

Loquere mihi ad qualem cum-
que animæ meæ consolationem, &
ad totius vitæ meæ emendationem:
tibi autem ad laudem & gloriam, &
perpetuum honorem.

C A P U T III.

Quòd verba Dei cum humilitate sunt
audienda, & quòd multi ea non
ponderant.

1. **A**udi, fili, verba mea, verba sua-
vissima, omnem Philosopho-
rum & sapientium hujus mundi sci-
entiam excedentia.

Verba